

IULIUS FEMINAM PULCHRAM IN FORO TUSCULANO ASPICIT

Iulius, dominus Romanus qui Tusculi habitat, in foro Tusculano cum familia sua est. Cum eo sunt Aemilia, femina bona et pulchra, Quintus Marcusque, filii improbi, et Iulia, parva puella quae rosas amat. Iulius mala et pira emere vult. Dum is adit ad tabernam in qua mala et pira venduntur, Aemilia cum Marco Quintoque tabernam ornamentorum petit et Iulia tabernam in qua rosae venduntur. Iam Iulius est ante tabernam malorum et pirorum; is decem mala et quinque pira emit et decem sestertios tabernario dat. Iulius se vertit et ... Ecce, vir videt feminam pulchram ante tabernam ornamentorum stare; nomen eius est Cornelia.

Ante tabernam adsunt multi homines. Ea longum capillum nigrum habet et formosa est. Iulius eam aspicit et dicit: «Estne dea illa femina? O, quam pulchra est! Immo, hoc dicere satis non est! O... ». Dominus, qui amat non modo feminam suam, sed alias feminas quoque, ad eam adit et dicit: «Quam pulchra est haec femina ... Aemilia, femina mea, pulchra est, sed non tam quam tu ... ». Cornelia ridet et Iulium laeta aspicit, quod viri verbis delectatur.

Aemilia autem prope virum suum est, ergo verba eius audit. Iulius se vertit et dicit: «Salve ... Aemilia ... Cur femina mea est apud hanc tabernam?». Atque Aemilia, irata: «Quia femina tua ornamenta amat. Sed ... cur vir meus cum alia femina est?». Iulius tacet. Aemilia autem lacrimat: «Iulius me non amat, ergo aliam feminam Tusculanam aspicit!». Iulius: «Quid? Vir tuus tantum te amat et ... et ... Ecce malum! Nonne pulchrum est hoc malum?». Aemilia eum spectat et clamat: «Stulte!»; itaque se vertit et ad villam suam (irata) revenit cum liberis suis, qui rident.

Tatiana Santonocito